



12958.

46  
21  
26

Ex Politicâ  
De

1650

**Magistratu in com-**  
**muni & in specie de Qvæstore, Judi-**  
**ce & Censore,**

PRÆSIDE

**MICHAELE WENDELERO,**

D. & P. P.

1650/171

*publicè disputabit*

**CHRISTIANUS KUNADUS,**

Grimmâ-Misnicus,

*Ad diem o. Augusti, horis matutinis,*  
*in Auditorio minori.*

~~~~~  
WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

48

(1650-1660)

Wit





CIVITATIS DOEBELENSIS  
REIPUBLICÆ LAUDATISSIMÆ  
**CONSULI, PRÆ-**  
**TORIBUS, CAMERARIIS,**  
Coeterisque omnibus ac singulis  
**SENATORIBUS,**  
VIRIS  
*Amplissimis Prudentissimis Spectatissimis*  
*Clarissimis*  
**DOMINIS**  
**Patronis Promotoribus & Fautoribus**  
honoratissimis,

*Hanc Dissertationem in humilem submissionem;  
debitam observantiam, ulterioris studiorum suo-  
rum promotionis & exoptatissimi favoris invi-  
tamentum cum indefinente sincera ac debita pie-  
tatis voto.*

D. D. D.  
*Christianus Kunadus.*



THESES  
de  
Magistratibus.

I.



**M**ocabulum Magistratûs commu-  
niter & latè acceptum significat omnem eum, qui  
est cum potestate. Magistro enim, à quo ma-  
gistratus deflectitur, secundum *Festum* idem est,  
quod moderor, vel guberno. In hoc significatu olim Romæ  
magistratûs nomine habebantur *Dictatores, Consules, Censo-  
res, Ædiles* atq; alii. Eadem vox, propriè sumpta, notat eum,  
qui habet jus consultandi, judicandi, & imperandi. Ita *Go-  
lius lib. 4. Pol. pag. 219.* Nos accipimus non cum Theologis  
pro quavis potestate Politicâ, sed pro eâ, quæ summæ pote-  
stati subjicitur.

2. Cùm autem maxima latitudo magistratuum sit in  
diversis rebus, difficulter potest eorum essentia unâ com-  
muni definitione comprehendi. Quod cùm videret Aristo-  
teles, per partes definiit magistratus, scilicet quod sit consilii  
publici, judicii & imperii particeps. Maximè tamen ma-  
gistratuum proprium ait esse, τὸ δὴν ἄριστον.

3. Hanc ob causam Ecclesiastici excluduntur. In pri-  
mitivâ Ecclesiâ vix ullâ leguntur Ecclesiastici usi fuisse po-  
testate. Postea plus juris sibi subinde acquisiverunt. *Justi-  
nianus* Ecclesiasticis permittit quidem in civilibus nonnullis  
judicium; sed veram perfectamq; jurisdictionem iisdem  
nunquam concessit. Nec demonstrari potest, Episcopos  
gladio, lictoribus aliisque jurisdictionis signis usos fuisse.  
*Satis*, inquit *Ruffinus lib. 1. histor.* ubi de Georgio, Episcopo  
Alexandrino, loquitur, *procaciter vi raptum Episcopatum gere-  
bat ita, ut magis sibi iurisdicendi fasces, quàm Sacerdotium ad-  
ministrandum religiosi officii estimaret.*

4. Nos ex mandato Christi Ecclesiasticis simpliciter

A 2

de-



denegamus potestatem. *Reges enim, inquit Christus ad suos discipulos, dominantur, vos autem non sic.* Nam regnum ipsius non debet esse de hoc mundo. Ergo & ipsimet sibi istam, tanquam ad se non pertinentem, denegare debent.

5. *Aristoteles* quoque excludit iudices, quos Romani vocabant *Datos*. Idem facit *Sigonius lib. 2. Antiquit. Rom. c. 18.* atque ipsae leges. 1. Quia non erant ordinarii. Jam autem lex ordinariis tantum jurisdictionem dabat. 2. Quia non habebant propriam jurisdictionem, sed iudicabant vi eius, cuius mandato causam suscepissent.

6. Si verò in genere aliquid dicendum sit de magistratu, erit *potestas ordinaria ex lege, à maiestate concessa, ad gerendas res reipublicae*. Potestatem enim maxime requiri in magistratu, *Arist. 4. Polit. c. 15.* docuit, quia est vicarius summæ potestatis, cuius officium repræsentare debet.

7. In descriptione dicitur, quòd sit *ordinaria potestas ex lege à supremâ maiestate concessa*. Nam inferioris magistratus potestas debet esse circumscripta legibus, quæ superioris magistratus potestate muniuntur. Est enim manifestum ex descriptione reipublicæ, quòd suprema potestas per subordinatos magistratus in singula reipub. membra influere debeat.

8. Hanc ob causam sunt, qui distinguunt inter *potestatem magistratus & legis actionem*, putantque, potestatem inferioris magistratus non fieri propriam, sed tantum concedi legis actionem. Verum negamus, quòd id simpliciter & semper verum sit. Nam hic loci distinguendum erit *inter inferiorem magistratum, qui tantum ex mandato superioris, vel ex lege iudicat, & inter illum, cui majus imperium & plenissima jurisdictio conceditur*. Ibi certum est, imperium esse summæ potestatis, quæ legem sancit, legis verò actionem apud magistratum. Ille autem magistratus, cui conceditur jurisdictio, sub quâ etiam majus imperium comprehenditur, habet potestatem, sine legis mandato exercendi propriam potentiam, nisi à principe aliquid innovatum fuerit.

9. Op-



9. Opponitur autem, quòd tales non contineantur sub nostrâ definitione. R. Nos dicimus, eos omninò contineri. Nam aliud est, *habere ordinariam potestatem ex lege, à summâ potestate concessam*; & aliud est, *exercere propriam potestatem, sine legibus à summâ potestate præscriptam*. Non hoc, sed illud in nostrâ definitione exprimitur, & cuilibet inferiori magistratui competit. Nam ille magistratus, de quo dicitur, quòd habeat majus imperium, & propriam potestatem, sine legum præscripto, exercent, id non habet ex se, sed à summâ potestate, & quidem extra ordinem. Hæc enim tantum sancit legibus, ut huic magistratui subordinato concedatur propria & sine legibus arbitraria potestas.

10. Additur in nostrâ descriptione: *ad gerendas res reipublicæ*. Hic notabis, vocem Res in latiori significatione esse sumendam. Nam subordinatus magistratus versatur non tantum circa res propriè dictas, sed quoq; circa actiones, personas & mores.

11. Proximè considerandum erit, quomodo magistratus commodè dividi possit. Hic certum est, magistratum, pro diversâ rerumpub. conditione, dividi variè posse. Nam cum magistratus pro negotiorum varietate & reipubl. magnitudine dividi soleat, negotia autem neq; numero ubiq; æqualia, neq; qualitate similia sint, nec omnes reipublicæ æquè amplæ & magnæ, imò eodem & quantitatis & qualitatis respectu non rarò varientur, fit, ut, propter hunc respectum, magistratuum ordines certâ divisione vix limitari possint.

12. Sunt, qui dividunt magistratus in *suffragiis creatos, sorte factos, & electos*. Quæ divisio jure rejicitur, cum sint differentie tantum accidentariæ. Nam accidit magistratui, suffragiis, sorte & electione constitui.

13. Alii dividunt magistratus in *majores & minores*, ita, ut eorundem differentie sumantur à majoribus & minoribus auspiciis. Hic observandum erit, quòd auspicia, secundum *Budæum*, sumantur pro autoritate, jussu & mandato.



Iccircò majora auspicia significant majores magistratus, seu honores. Nullus enim magistratus inauspicatò, id est, sine mandato creabatur. Verùm neq; hæc divisio est recipienda, cùm sit accidentaria.

14. Nos magistratùs divisionem ab ejusdem naturâ imemus. Natura magistratùs consistit in curâ reipublicæ: Cura autem quia vel *generalis* vel *specialis*; iccirco dividemus magistratum in generalem & specialem.

15. Magistratus generalis est, *cujus cura versatur circa providentiam de salute totius reipublicæ*. Huic viri prudentissimi sunt præficiendi, cum primis in Oligarchiâ & Democratiâ. Videndum autem est, ne talem magistratum gerens magnâ potentiâ armetur. Nam id clarissimis rebus publicis summam sæpissimè attulit ruinam.

16. Hinc Philosophus *III. Polit. c. 9.* non admodum improbat consuetudinem Atheniensium, qui excellentes viros ad moderandam potentiam, extra civitatem ad tempus relegabant. Quod exilii genus appellabant *Ostracismum*, *ὄστρακον ἐξορισμὸν*, hoc est, à *testulis*, quibus inscribebant relegandi nomen. Nam in publico confesfu viritim dabantur testulæ, quibus quilibet inscribebat nomen illius civis, quem ex urbe cedere volebat. Magistratus autem, huic officio præfectus, universos calculos numerabat; qui, si millium numerum excederet, civis suffragiorum numero fuit damnatus, atq; in exilium ad decem annos missus, hanc tantum ob causam, ne civitatis statum mutaret.

17. Quòd autem ex nimiâ nonnullorum civium potentiâ Reipub. sæpissimè immineant pericula, historiæ testantur. Sejanus, ut habet *Tacitus lib. 4. Annalium*, magnâ à Tiberio auctus potentiâ conabatur eidem præripere imperiû. Brutus nunquam potuisset ejicere Tarquinium, nisi fuisset Tribunus. *Florus lib. 1.* Ex Græcorum historiâ constat, nihil magis exitiale fuisse imperatoribus, quàm magnâ ducum potentiam. Iccircò potestas civibus & inferioribus magistratibus nec nimia, nec perpetuò concedenda est. Et hæc  
qvo-



quoque est causa, quare Dictatura apud Romanos tantum semel fuerit.

18. Magistratu generali explicato, sequitur specialior. Hic primum locum occupant, qui *Ærario* præfunt. Latè promiscuè sumuntur. *Fiscus & ærarium*. Strictè quando sumuntur, tunc *fiscus* est principis, *ærarium* verò populi. Nam erat *ærarium* locus, ubi publicæ civitatis pecuniæ reponerentur, futuris necessitatibus reservandæ. Populus Romanus habebat *ærarium*. *Festus lib. 1.* Apud Athenienses cella erat post ædem Minervæ. *Demosthenes τῆς συνέλευσεως*. Præterea erat Romæ sanctius *ærarium*, in quo pecunia reservabatur ad ultimos casus. *Livius lib. 27. Caesar lib. 1. de Bello Civili & Cicero lib. 7. ad Atticum. Epist. 19.*

19. Errant, me iudice, *Machiavellus Com. in Livium lib. 2. c. 10.* *Patricius* atque alii existimantes, civitatem, sine *ærario*, posse subsistere. Nam rectè ab antiquis dictum est, nervos belli esse nummos. Quod malum experti sunt *Lacedæmonii*, qui, ut habet *Herodotus lib. 2.*, in oppugnatione *Sami*, re infectâ, ob defectum æris, cogebantur domum redire.

20. *Ærarii* præfecti dicebantur *Quæstores*, quorum officium in eo consistit, ut curent sedulò, quâ ratione *ærarium* locupletari possit. Præstiterunt autem illud munus vel subinde novæ pecuniæ acquisitione, vel prudenti opum *ærarii* administratione.

21. *Bodinus lib. 7. de republicâ* septem conficiendæ pecuniæ genera enumerat. Primum est *ex publicis agris*. Hinc principes in novarum civitatum fundatione quasdam possessiones tuendæ conservandæque reipub. causâ segregabant, easdemque privatis hominibus locandas destinabant, ut *ærarium* publicum certas pensiones quotannis perciperet. Hinc *pensio* definitur, quòd sit pecunia, ex urbanorum prædiorum pensione percepta. Hanc pecuniam qui solvit, *pensionarius* vocatur.

22. Secundum genus est *ex hostium spoliis & pecuniis*. Hoc genere Romani suum *ærarium* valde augebant. Nam  
omne,



id omne, quod ademerunt hostibus, in publicum ærarii usum aservabant. *Porcionem Catonem* triumphantē ex Hispaniâ intulisse in eo triumpho argenti infecti XXV. millia pondo, bigati centum viginti tria millia, *Livius est autor Decade IV. lib. 4* Idem recenset *Plinius lib. 1. decad. 5.* de Claudio Censore. Æmilium devicto Perseo sestertium millies & ducenties intulisse in ærarium, & Cæsarem, subactâ Galliâ, quater millia sestertium, refert *Appianus*.

23. Tertium genus est ex amicorum largitionibus ac legatis. Tales sunt mutue donationes principum & populi in homagiis præstandis & similibus actibus. Romana Respublica olim valdè fuit aucta legatis. Multi enim populi Romanum populum fecerunt hæredem, atq; amplissima regna, nullâ vi quæsita, legarunt. Augustus ingentem pecuniæ summam legavit Romano populo. Huc quoq; pertinet, quod ærarium augeri possit, si extraneus adeat hæreditatem in aliquâ republicâ, & prius pendat ærario aliquam hæreditatis adeundæ partem.

24. Quartum genus est, quando annuæ pensiones à sociis rebus publicis ex fœdere percipiuntur. Sic *Holvetiorum & Rhetorum civitatibus pensio à regibus Galliæ annua mille aureorum ex fœdere dependi consuevit, eâ lege, ut reges Galliarum exercitus imperare, & auxiliaribus eorum copiis uti ad imperii tutelam, prætoriasq; cohortes ad corporis obsequium & custodiam inde conscribere possint.* *Bodinus lib. 6. de repub. c. 2. p. 1013.*

25. Quintum genus est, quando summa potestas magnam mercaturam exercet, eamq; vel suo, vel alieno nomine. Sed hoc Rege, aut principe, est indignum. Hanc ob causam neq; in Germaniâ, neq; in Galliâ, licet nobilibus mercaturam exercere, nisi plebejis annumerari velint.

26. Sextum genus est ex vectigalibus earum rerum, quæ evehuntur, atq; invehuntur. Qui modus ærarium augendi ut antiquissimus est, ita quoq; usitatisimus. In specie vocatur vectigal, quod respectu mercium importanda-  
&



rum & exportandarum, item curruum atq; eqvorum pendi-  
tur.

27. Septimum genus est ex *tributis & collectis*. Est autem tributum, ut *Varro* habet, pecunia populo imperata, quæ tributim à singulis proportionè census exigebatur. Ex iisdem muri & civitates restituntur, aliaq; commoda reip. procurantur, ut quæ à subditis contribuuntur, partim in ipsos, partim propter ipsos impendantur. Tantùm licet imperantibus pro reipub. utilitate imperare. Mediocritas enim, si ullibi aliàs, in tributis spectanda est. Nam multi imperantes pecuniis, acerbè conqvirendis, plus invidiæ ac incommodi, quàm virium addiderunt. Cùm enim primi Athenienses sociis injungerent tributum, hi defecerunt. *Thucydides*

28. Collectæ differunt à tributis. Nam collectæ certam annuamq; præstationem non habent; contra tributa ordinariè & quotannis solvuntur. Collectæ in nostro imperio sunt generales & speciales. Illas solus Imperator, vi supremæ Jurisdictionis, propter publicam necessitatem imponit; has verò Principes, Comites & Barones suis subditis imponunt.

29. Sequitur magistratus, qui versatur circa justitiam, atq; appellatur *Judex*. Prætor olim, teste *Livio*, judex appellari cœptus est. Hinc Magistratus, qui tribunali præsunt, judices appellantur. Est autem judex, *qui de re aliquâ vel jure suo, vel magistratus, qui jubendi potestatem habet, auctoritate cognoscit & judicat.*

30. Judicis officium in eo consistit, quòd occupatus sit circa justitiam. Cùm autem justitia sit, vel *Communitativa, vel Distributiva*, boni judicis est, utramq; observare, id est, non tantùm criminibus definire pœnam, sed etiam cives, de repub. benè meritos, præmiis mactare. Nam magistratus nullâ re magis sibi devincit subditos, quàm præmiis & honoribus. Nihil quoq; justius est, quàm virtuti reddere pretium, nihilq; magis cives ad virtutem invitat.

B

31. Ul-



31. Ultimam justitiæ partem, cum gratiæ plena sit, ipsa summa potestas exerceat; priorem verò committat iudicibus, ita tamen, ut ipsa jus provocandi sibi retineat, tum ne justitiæ, oscitanter administratæ, accusari possit, tum ut intra justitiæ terminos contineat iudices. Nam etiam tunc summa potestas pronuntiatur facere iudicium, quando probos iudices præficit iudiciis, eorumq; iudicia regit, eò quòd ad se provocari patiatur; aut, secundum Mosis exemplum, graviora ipse decedit, leviora relinquit iudicibus.

32. In iudice sit severitas, sed conveniens, hoc est, talis, quæ non in summo rigore, sed in æquâ animadversione consistit. Nec nimia, hoc est, injusta misericordia, in iudicem cadere debet. Nam hæc ipsa non rarò efficit, ut peccata maneant impunita. Reipub. autem, atq; eorum qui læsi sunt, interest, malum civem è medio tollere. Imò in iis, inquit Thomas, quæ leges definiunt, non est facienda misericordia.

33. Lex quoq; divina præcipit, ut peccata puniantur. Ratio, ob quam justitia sit observanda, extat Deut. 2. quia Dei est iudicium. Hinc iudices, qui peccata non puniunt, non rarò à Deo punitos legimus. Quod ipsum Ambrosius lib. 1. de offi. probat exemplo Saulis: quem ait peccasse graviter, quòd Agagum, regem, quem divina sententia servari prohibuerat, miseratus esset. Ludovicus Pius cum subdito cuidam donasset peccatum satis grande, & paullo post in v. 3 Psalmi 106 incidisset: Beati, qui custodiunt iudicium, qui faciunt iudicium omni tempore: hominem revocavit, & veniam fecit irritam.

34. Q. 1. An iudex iudicare debeat secundum acta & probata, an secundum conscientiam? Affirmamus posterius. Pontificii concedunt in eam sententiam, quòd iudex præcisè secundum acta & probata iudicare debeat. A Pontificiis omnibus dissentit Lessius lib. 2. c. 4. ubi ita scribit: *Contraria nihilominus [sententia] videtur verior, nempe iudicem nullo*



*In modo posse innocentem ad mortem damnare; sed potius debere officium dimittere, etiamsi hoc modo reo nihil esset profuturus.*

35. Nostra fundamenta sunt sequentia: 1. *Quia est contra divinum interdictum Exod. 23. v. 2. Non acquiesces plurimorum sententia, ut à vero devies. Versu 7. Infontem & justum non occides, quia aversor impium.* Sed omnis, qui secundum acta & probata condemnat eum, quem novit esse innocentem, is justum occidit, adeoque legem transgreditur. 2. *Quia innocentem condemnare secundum acta & probata est iudicium iniqum.* Nam omnis poena, quæ infligitur sine culpa, est iniqva. 3. *Quia damnare hominem, per falsos testes convictum, ut reum, quem iudex novit innocentem, est aliquid agere contra propriam scientiam.* 4. *Quia damnare innocentem, cum mendacio conjunctum est.* Iudex enim aliud dicit, aliud autem novit. 6. *Quia jus naturale requirit, ut secundum veritatem judicetur.*

36. *Dn. D. Hornejus lib. 4. c. 4. Instit. Ethicarum p. 634. hanc quaestionem tribus conclusionibus absolvit.*  
I. *Reus, sufficienter convictus, contra acta absolvi non potest, nec ad id iudex obligatur, quamvis eum innocentem esse sciat; potest tamen summus magistratus eum absolvere, vel saltem in causâ dispensare.* II. *Iudex inferior relinqvat causam superiori, si fieri id utiliter & cum commodo rei potest. Quòd si autem superior ipsum exercere iudicium velit, renunciare ideò officio non cogitur, nisi facere id toties etiam velit, quoties nocens non convictus absolvendus est.* III. *Quoties iudex cogitur peccare, non peccat, si secundum acta & probata judicet, cum id sit ejus officii: nec ipse reo injuriam facit, sed vel ii, qui falsum testimonium deposuerunt, vel humanorum iudiciorum conditio, quæ rectius institui nequeunt. Imò injustissima futura sint, nisi ex actis judicetur. Hac sententia maximè probabilis nobis apparet.*

37. Q. 2. *Num aliquis simul iudex & pars esse possit? Negatur.* Nam omnia jura & ipsa naturalis ratio personam iudicis à personâ partis semper distingvit. Pontificiis con-

B 2

tra-



trarium placet. Nam hi defendunt, Pontificem (quem Orthodoxi multorum criminum accusant, ut ita ipse pars sit, cum quâ litigatur) posse esse judicem omnium controversiarum, quæ inter ipsum & Orthodoxos sunt exortæ.

39. Q. 3. Num semper liceat judici injustè condemnanti resistere violenter? R. Pontificios id absolutè affirmare. Vide Thomam in 2. secundæ q. 50. articulo 4. Dominicum à Soto lib. 5. de justitiâ & jure q. 6. articulo 4. & Gregorium de Valentia Tom. 3. disp. 5. q. 13. puncto 4. Nos distingvimus inter Principes & privatos. Si principes à superiori condemnarentur injustè, iidemq; jurisdictione in subditos, subditi verò bonis suis essent spoliandi; tum liceret Principibus resistere superiori injustè agenti & vim inferenti. Nam & ipsi Principes sunt magistratus, quibus suorum subditorum defensio jure incumbit.

40. Q. 4. Num judex semper & quidem sine ullâ exceptione, juxta leges, pronunciare debeat? Respondemus, judicem peccare in Majestatem, quando secundum legem, quæ plana est, non judicat. Nam se lege prudentiorem jactitat legem summæ potestatis abrogat, & suam opinionem constituit lege. Hoc autem nihil aliud est, quàm in Majestatem peccare. Nam leges sancire tantum summæ potestatis est, non verò inferioris magistratus.

41. Sed dicis, si lex & strictum jus observari debet, malè docet Arist. lib. 5. Ethicorum, ubi æqvitatem præfert justitiæ. Respondemus, æqvitatem tunc habere locum, quando lex vel nullâ est, vel admodum obscura. Quando lex est nulla, tunc pro lege recta stat ratio; ex quâ, rectè usurpata, sæpè meliores manant sententiæ, quàm ex ipsis legibus. Hinc Lutherus in plurimis locis rectam rationem præfert ipsis legibus. Vide Tom. II. Jenensem Germanicam. Verba ipsius sunt sequentia: Ein recht gut Urtheil das muß und kan nicht auß Büchern gesprochen werdē/sondern auß freyen sinn daher/aber solch frey Urtheil giebt die Liebe und natur



natürlich Rechte, das alle Vernunfft voll ist: auß den  
Büchern kommen gesponnene und wackende Urtheile.

42. Sed quando lex est obscura, & causa, de qua  
judicium est institutum, in lege non satis determinata, judicis  
est, legem commodè interpretari, & circumstantiis rectè ob-  
servatis æquè accommodare, non autem ipsam Legem tol-  
lere. Nam id non judicis sed tantum summæ potestatis  
est. Verum hæc omnia sunt intelligenda de his legibus, quæ  
veram legis naturam habent, atq; à veris, bonis, justisq;  
Principibus sunt sancita. Si verò honestum, pietas & ipsa  
natura evertitur, tunc judex observeat generalem: *plus Deo  
obediendum est, quam hominibus*: & perpendat, quòd etiam  
Deo, summo legislatori, sit subjectus.

43. Officium judicis excipiunt *Virtutes*, quarum  
sunt quinque; 1. *Scientia juris* 2. *Immunem esse à crimine, quod  
damnaturus est.* 3. *Esse sine affectibus.* 4. *Non precipitanter a-  
gere.* 5. *Utramq; partem audire*:

44. Scientiam juris esse necessariam judici, ma-  
nifestum est. Sunt, qui distinguunt inter judices. Nam  
nonnulli controversiis & litibus dirimendis adhibentur; alii  
verò negotiis disceptandis exequendisq; admoventur.  
Non illis, sed his, dicunt, legum imperitis esse liceat. A-  
lii in communi atq; absolute judici indulgent imperitiam  
legum, modò assessores peritos habeat. Sed certè miser est,  
qui ex alieno pectore sapere cogitur. Nec, quando senten-  
tia pronuntiatur, Jcti aut literati assessoris, sed judicis cau-  
sa agitur. Præterea non de assessore, sed de prætore dici-  
tur, quòd potestatem supplendi corrigendiq; habeat.

45. Secundam Judicis virtutem facimus, ne agat  
idem, quod in alio puniendum putavit. Nam turpe est,  
judicem ab alio judicari. *Tu es judex, inquit Terentius ne  
quid accusandus sis vide*:

46. Tertia justitiæ administrandæ virtus est, cau-  
sas dubias in judiciis rectè cognoscere, & sine ullo affectu



& præjudicio decidere. Nam affectus justitiæ maximè refragantur, cum non permittant, ut judex rem consilio & cogitatione videre possit. Huc pertinet, ut à judice removeantur litigantium subterfugia, dilationes, fraus & circumventio, quibus justitia impeditur; adeoq; summo studio in re sanctissimâ corrigat & declinet. Quem finem ut obtinere feliciter possit, certum advocatorum in repub. constituat numerum, ne multitudo tanta eorum sanctissima judicia commutat in cautelas, technas atq; perjuriam. Nam rectissimè *Lipsius* ex *Tacito* refert, *publica mercis nihil tam veniale esse, quàm hodiè advocatorum perfidiam.*

47. Quarta judicis virtus est, ne præcipitanter agat. Nihil enim iudicio tam contrarium est, quàm subito sine iudicio decernere. *Ad pœnitendum properare, citò qui iudicat, habet Seneca in proverb.* Exemplum Davidis suggerit nobis Scriptura 2. *Samuel. c. 19. v. 29.* Hic enim dum ad accusationem Sibæ, pessimi calumniatoris, statim condemnat Mephiboseth, non leviter peccat. Idem peccatum in iudiciis hodiè non est infrequens

48. Quinta judicis virtus est, si audiat utramq; partem. Hoc enim est summæ æqvitat. Non incommodè in iudices iniquos Alexandri Macedonis torqvebitur exemplum, qui orante accusatore alteram aurem solebat manu occludere, ut eadem reo conservaretur.

49. His quidam addunt, ad judicis personam cum primis requiri, *ne se muneribus corrumpi patiatur.* Nam avarus iudex cum vendit aliena crimina, sua facit etiam peccata. Non dicam, quòd multitudo peccantium crescat, cum redimendi peccati spes datur. Sunt qui esculenta & poculenta tantum concedunt accipi licere, quæ necessaria sunt in dies paucos: sed non à reo, vel actore, hæc accipi voluerunt, sed ab iis, qui merâ liberalitate afferunt. Verum nec hæc exceptio videtur locum invenire. Litigantes enim offerunt munera hunc in finem, ut iudicis sibi conciliant favorem, non ut liberalitatem exerceant. Hinc *E-*  
*pbi-*



*phialtes*, sicut *Ælianus lib. ii. var. hist. c. 9.* testatur, ne ab amicis quidem accepit munera, veritus, ut vel contra jus iis gratificaretur, vel, si id non faceret, ingratus videretur. Imò in repub. bene constitutâ, à summâ potestate latæ sunt leges, quibus cavetur, ne iudex atq; alii ministri accipiant munera. Asseffores judiciorum provincialium in Saxonia Lipsiæ & Wittebergæ jurant, se pro iudicio munera non accepturos. Vide *Constitutiones Mauriti, anno 1540. p. 169.*

50. Sed iudicem relinqvemus, & ad Censorem pergemus. Sicut enim legibus iudices, ita moribus præpositos oportet Censorem, qui ea corrigat, quæ legibus definiri non possunt. Hic certè magistratus est omnium sacratissimus, adeoq; summè necessarius. Omnes enim benè constitutæ republicæ censuram magnificerunt. Carthaginensium Censorem *Probus in Hannib.* nominat præfectum morum. Atheniensium censes *Suidas* nominat *Ἰππάρχης*, ad id creari solitos, ut notarent, qui publicè injuriosè essent. Sed præter hos censoriam curam fuisse demandatam Areopagitis, abundè testatur *Isocrates in Areop. & Socrates in Axioch.* ubi ait, postquam in ephebos aliquis ascriptus sit, omne tempus Sophronistis & Areopagi juvenum censuræ tribui. *Quintilianus* scribit, Areopagitas damnasse puerum, quòd coturnici oculos eruisset. Nam interpretabantur, id esse pessimi animi signum.

51. Primus apud Romanos censuræ autor fuit *Servius Tullius*. Vide *Florum epit. 1.* ubi ait, Servium Tullium censum omnium primum egisse. Idem testatur *Livius lib. 1* quòd Servius instituerit censum, rem saluberrimam tanto futuro imperio. Anno urbis 312. novus magistratus censendis civibus creatus est; de cuius origine edisserit pulcherrimè *Livius lib. 4.* Hunc magistratum *Varro* putat Censorem vocatum, quòd ad ejus censionem, id est, arbitrium censeretur populus; *Festus* autem, quòd rem suam tanti quisque æstimare solitus fuerit, quantum censor censuerit.

52. Du-



52. Duplex autem est Censoris officium. Primum consistit in numeri, ætatis, ordinis, conditionis, dignitatum, possessionum, civium æstimatione & descriptione. Nam numerus civium notus esse debet, ut suas vires cognoscat respublica, ne gravioribus bellis se implicet, quàm sustinere possit. Idem præcipit Deus Mosi *Num. 1. v. 2. 3. & 4.* Dicis, Davidem fuisse punitum, quòd populum numeraverit. Respondemus, peccasse Davidem. Hic enim numerabat populum in contemptum divini auxilii, victoriamq; non tam DEO, quàm suis viribus arrogavit. *Josephus lib. 7. c. 13.* aliud fundamentum, quare David fuerit punitus, affert, eò quòd in capita censorum non solverit pecuniam, à DEO *Exod. 30. v. 12. & 13.* præceptam.

53. Deinde aliam ob causam numerus civium est cognoscendus scilicet ut ratio possit haberi annonæ frumentariæ, ampliandorum pomæriorum & deducendarum coloniarum. Hinc Romani, quamvis albo inscripserint armis ferendis idoneos tantum, tamen homines censuerunt. Nam *Halycar. lib. 2.* hunc in modum scribit: *septimo lustro mulierum, puerorum, servorum, & mercatorum, & sordidas artes exercentium, triplo plus fuisse, quàm turbæ civilis.* Quantum autem turbæ civilis fuerit numerus primo lustro, id *Livius ex Fabio Pictore* testatur, nimirum censa fuisse octoginta millia.

54. Præterea numerandi sunt cives, ut de ætate cujuscunq; reipub. constare possit, non tantum ad ordinandos tutores, sed quia certis magistratibus certa ætas præfinita est. Hinc *Ovidius in fastis* ait: -- -- *finitaq; certis Legibus est ætas, unde petatur honor.*

*Halycarnasæus lib. 4.* scribit, Servium instituisse, ut quotusquisq; nasceretur, toties æra singula in arcam, in fano Lucinæ collocatam, inferrentur: deinde cum anno 17. togam acciperent, singula vicissim æra in templo juventæ afferentur, & deniq; in fano Veneris Libitinæ, quando quisq; moreretur. Quem Romanorum morem esse quondam secutum Gal-

Gal-



Galliarum regem, Franciscum, *Gotofredus de censurâ* refert. Hic enim anno 1539. promulgavit edictum, ut singuli Curiones baptisatorum mortuorumq; nomina conscriberent.

55. Porrò census dignitas est maxima, ob distinctionem statuum nobilium & plebejorum, civium & peregrinorum. Nam experimur, ex hujus rei neglectu magnas familias obliterari, novas autem prodire. *Livius* l. c. autor est, quòd quinqvaginta millia Latinorum, qui se pro civibus venditârint, deleta fuerint per censum. *Plutarchus in Pericle* scribit, Periclem, cum censum Athenis ageret, quinqve millia exauctorâsse, & sub hastâ vendidisse, quòd, cum peregrini essent, in civium ordinem se redegisent.

56. Deniq; census facit ad colligendas divitias. Hinc *Florus lib. 1. c. 6.* commendat censum Servii. Nam cum patrimoniorum discrimina in tabulas retulisset, certa singulis imperavit tributa, qui antea æqualiter conferebant. Totum enim populum divisit in quinq; ordines, divitiarum differentiâ distinctos, quibus addidit sextum ex proletariis & capite census. Quinam autem fuerint proletarii & capite censi, *Julius Paulus* explicat. Scribit enim, proletarios non amplius, quàm mille quingentum æris in censum detulisse. Qui verò nullo, aut perquam parvo ære censebantur, capite censos esse vocatos. *Gellius lib. 16. c. 10.* Extremus autem census capite censorum fuit 375.

57. Alterum censorum officium consistit in emendatione morum. *Lipsius lib. 4.* Politicorum hoc officium peculiariter censuram vocat. *Plutarchus & Suetonius* testantur, Julium Cæsarem retinuisse hoc ultimum officium fermè solum. Cæsarem etiam ambiisse privatorum aedes & quomodo quisq; viveret, diligenter percontatum fuisse, idem *Plutarchus* habet. *Cicero in*

C

Pi-



*Pison.* scribit, censorem quinto quovis anno de moribus  
judicasse.

58. Magistratus ergo, huic officio praefectus,  
inquirebat, quomodo se quisque domi erga uxorem & li-  
beros, erga servos, consanguineos & cives gereret. Item,  
qualis liberorum educatio; unde victus esset atque ami-  
ctus; quis facultatum usus & abusus; quanam mensa  
& focus. Omnes denique malas artes, voluptates & luxum  
prohibebant.

59. Qualis hujus censurae effectus fuerit, in eo  
non conveniunt autores. *Dion lib. 40.* scribit, censorem  
habuisse jus in cujusque vitam inquirendi, malosque infa-  
mandi. Contra *Gellius lib. 7. c. 22.* existimat, notam cen-  
soriae non fuisse poenam, sed muneris remissionem, sine  
ignominia. Sunt, qui varias poenas habuisse censorem,  
ex variis autoribus demonstrant. Nam primo rubo-  
rem incutiebant damnato: id quod ex *Cicerone lib. 4. de  
republ.* probant. Deinde in dignitate constitutos hono-  
re aliquandiu privabant: post eosdem, acta poenitentiam,  
restituiebant. Tertio certam pecuniam multatos fuisse, *Gel-  
lius lib. 4. c. 20.* annotavit. Tandem contumaces ad ma-  
gistratum deferebant, ut publico damnarentur iudicio.  
Hos vero postea non solum ignominiosos, sed quoque infa-  
mes fuisse dictos scribunt.

60. Num ex usu hodiernarum rerum publicarum  
sit, ut censura reducatur? De hac quaestione integri extant  
libelli, in quibus in utramque partem a *Thoma Erasto* &  
*Theodoro Beza* disputatur. Erasti scriptum obtinere  
non potui. Theodora Beza *tractatum pium & modera-  
tum* (sunt verba tituli) *de vera excommunicatione &  
Christiano Presbyterio*, diligenter evolvi. In eo enim  
mordicus & multis argumentis affirmativam defendit  
sententiam. Eodem studio idem dogma tuetur *Eras-  
mus Sarcerius* in libro de disciplina a pag. 189. usque ad  
pag. 190.

61. Nos



61. Nos paucis probaturi sumus, revocatio-  
nem censuræ, antiquitùs usitatæ, rebusp. omninò neces-  
sariam esse. Censuram svadent primò innumera in  
resp. introducta vitia, quæ, impunè commissa, socordi-  
am & incuriam magistratùs luententer demonstrant.  
Hujus farinae sunt religionis & veræ pietatis contemptus,  
perfidia, usuræ illeitæ, scurrilitas, levitas, ebrietatis stu-  
dium, insidiæ, jurgia, obtrecciones, superbia & hujus  
generis plura. Quæ immania vitia per constitutos Cen-  
sores validè profligare licebit.

62. Deinde honesta & utilis juventutis educa-  
tio, ne aut omninò negligatur, aut ab imperitis schola-  
rum rectoribus, ut hodiè fit passim, præposterè institua-  
tur. Porro prudens rei familiaris tractatio. Nam  
ubi paterfamilias otio se dabat, mox à Censoribus impel-  
lebat ad pensum, strenuè absolvendum, & reculis pes-  
sum euntibus viriliter prospiciendum. Tandem im-  
modicus levissimarum foeminarum & virginum circa ve-  
stitum luxus: quo vitio nullum hodiè est majus.

63. Verùm nobis plurima objiciuntur. Ex  
iis autem tantùm tria notabimus. I. Vitia, quorum facta  
fuit mentio, à Pastoribus taxari. R. Quamquam Eccle-  
siasticis personis concessa sit correctio, inanis tamen  
est, cum executione careat, nec ulli ignominia imprimat  
notam.

64. II. Censores nihil aliud esse, quàm prodi-  
tores, adeoq; in republicâ non ferendos. R. falsissimum  
est, quod censor sit proditor. Censor enim concives, pes-  
sime viventes, patefacit, non ex animi levitate, sed magi-  
stratùs jussu, non ob privatum commodum, sed ut in  
repub. disciplina conservetur; non ut proximo noceat,  
sed ut eidem proficit.

65. III. Censorem peccare contra charitatem  
Christianam. Nam vicinum, malè viventem, magi-

C 2

stra-



1411  
stratui detegit. R. 1. esse distingvendum inter charitatem, quam debemus patriæ, & charitatem, quam debemus proximo. Illa multis modis est præponenda huic. 2. Simpliciter negamus, quòd sit misericordiæ, aut etiam amoris opus, civem, pessimè viventem, celare. Nam id cum maximo totius reip. damno conjunctum est, ob varias calamitates, quibus integræ civitates, ob unum pessimum civem, non rarò interierunt funditùs.

### Adjectanea de Legato.

1. Vox Legati, propriè dicti, summa potestati convenit. Nam jus mittendi legatum à Majestate dependet.

2. Potestas mittendi legatum Electoribus non competit secundariò, sed primariò. Habent enim Majestatem: Ergò etiam jura majestatis, adeoq; jus mittendi legatum.

(Curn. Janson  
scrip.)

3. Nonnulla Collegia, quæ in imperio publicâ pactione, aut fœdere, vel longâ præscriptione coaluerunt, ut jus belli sibi asserunt, ita etiam jus legationis, sine quo illud exequi nequeunt, pro collegio rectè assumunt.

4. Varia olim adjungebantur legatis, ceu solemnia, ut verbenæ, gramen, sagmina, silices, filum lane, sacra stola, caducèum, ramus oleæ, velamenta atq; alia. Hæc omnia erant propria Fecialium, qui ad alià non adhibebantur, nisi ad fœdus ineundum & bellum indicendum.



Wittenberg, Diss., 1650-51(1)

VJ 17


ULB Halle 3  
002 673 339




56.











12058.

Ex Politicâ  
De

1650

46  
21  
26

**Magistratu incom-**  
**muni & in specie de Qvæstore, Judi-**  
**ce & Censore,**

PRÆSIDE

**MICHAELE WENDELERO,**

D. & P. P.

*publicè disputabit*

**CHRISTIANUS KUNADUS,**

Grimmâ-Misnicus,

*Ad diem o. Augusti, horis matutinis,*  
*in Auditorio minori.*

1650/71

~~~~~  
WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

48

(1650-1660)